Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2559
Quelle:
Copyright:

Sequuntur Nomina Coepiſcoporum, quae apud *Labb.* T. XI. P. 1. p. 1151. in edit. *Venet.* T. XIV. p. 729. *Harduin.* T. VII. p. 855. *Harzhem.* T. III. p. 653. liquido corrupta ex *Cod.* noſtro utcunque reſtitui poſſunt. Sunt vero: *Fridericus*, *Heinricus*, *Buchardus* (l. Wichardus) *Bruno*, *Chremen* (l. Conradus) *Bernhardus*, *Gerhardus*, quibus aeque reſpondent ſeptem Ecclesiae, videlicet: *Friſingen. Ratisb. Patav. Brizon.* (Brixin.) *Chyem. Secouien. Lanaturen.* (l. Lavantinen.) Statuto *ult.* ſub finem, ubi vulgo legitur *praeviemus*, rectius noſter: *puniemus*.

XIV. *fol.* 212. p. 2. rubro: *Incipiunt conſtituciones domini Johannis tuſculani Epiſcopi. Johannes* is eſt *Buccamatius* Romanus *Honorii* IV. affinis et unicus ab eo creatus ex Archiepiſcopo *Montisregalis* in *Sicilia* Cardinalis *Tuſculanus*. Miſſus in Germaniam Legatus Concilium *Herbipoli* praeſente *Rudolpho* I. Imp. anno 1287. Dominica *Laetare* celebravit, ut pluribus *Harzhemius* T. III. *Concc. Germ.* p. 724. Quamquam Acta noſtra etiam apud *Labb.* T. XI. P. 2. p. 1318. in edit. *Venet.* T. XIV. p. 1079. *Harduin.* T. VII. p. 1131. habeantur. Sunt *Canones* XLII. quorum lectio in *Cod.* noſtro non raro ab editis variat. Ita in Prooemio *Marchie*, *Lubonie* pro *Marthiani*, *Livoniae*. C. 3. *pena canonica* pro *poena communionis*. C. 4. *abſolutionem tamen* pro *abſolutionem tum* C. 10. *Presbiteris recipere duas vicarias* pro *duas communicaturas* &c.

XV. *fol.* 217. p. 2. rubro: *Hec ſunt conſtitutiones domini Conradi* (IV. de Praitenfurt et Vonſtorff) *venerabilis archiepiſcopi eccleſie Salczburgen.* Tres ſunt numero: *De contractibus matrimonialibus. De Clericis officialibus. De uagis Scolaribus.* Communicatas olim a *Jac. Gretſero Sev. Binio* rurſus exhibet *Harduinus* T. VII. col. 1163. et *Harzhemius* T. IV. p. 3. referentes eas ad Concilium, quod de uniendis tribus Equitum in *Palaeſtina* Ordinibus celebratum dicunt *Salisburgi* anno 1291. Verum illud ſequenti anno adſignandum eſſe docet *Hanſizius* T. II. p. 432. Decretum ultimum in ſolo *Cod.* noſtro *Addicio* vocatur *ad ſtatutum Domini Friderici Archiepiſcopi Salczburgen.* Eſt illud numero *decimum ſextum* Synodi celebratae 1274. de qua ſuperius.

XVI. *fol.* 218. p. 2. rubro: *Concilium domini Conradi celebratum Salczb. Anno domini M° CCC° X. in XLma. Moderaciones quorundam ſtatutorum.* Acta hujus Concilii poſt alios exhibet *Harzhemius* T. IV. p. 166. Eorum Synopſin habes apud *Hanſizium* T. II. p. 442. ubi et totum *Capitulum ult.* quod in editis deeſt, e *Cod.* noſtro repraeſentatur.

XVII. *fol.* 219. p. 2. Aliud ejusdem *Synodi* Exemplum.

XVIII. *fol.* 220. p. 2. rubro: *Hec ſunt Inſtituta domini Pilgrini* (II. de Puchaim) *Archiepiſcopi Salczburgen. ap. ſe. le. publicata in pro-*